



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SACRAMENTO|| POENITENTIAE.|| QVATVOR LIBRIS COM-||REHENSA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

Cap. I. Proponitur doctrina Catholica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54092](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-54092)

CAETERVM, ne opus hoc nostrum imperfectum relinquamus, operæ pretium esse duximus, doctrinam Ecclesiæ Catholice in medium adferre, & quæ vel Lutherus obiecit olim, vel nunc eius discipuli aduersus eam obiciunt, breuiter refutare.

## CAPVT PRIMVM.

*Proponitur doctrina Catholica.*

 GITVR Tridentinum Concilium sess. 14. cap. 4. septem capita de Contritione proponit, quæ apud Catholicos omnes certissima esse debent. PRIMVM est, Contritionem esse dolorem animi, ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. ALTERVM, Contritionem lapsis semper fuisse necessariam ad veniam obtinendam. TERTIVM, post Baptismum debere esse coniunctam cum fiducia diuinæ misericordiæ, & cum voto præstandi cetera, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ requiruntur. QVARTVM, Contritionem charitate formatam reconciliare hominem, etiam antequam Sacramentum actu percipiatur. QVINTVM, Contritionem imperfectam, quæ attritio dici solet, quæ ex metu Gehennæ concipitur; si voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniae sit coniuncta, non solum non facere hominem magis peccatorem, sed esse donum Spiritus sancti, & utilem ad iustificationem. SEXTVM, Attritionem sine Sacramento, quod re ipsa percipiatur, non posse per se ad reconciliationem peccatorem perducere, eum tamen ad gratiam in Sacramento suscipiendam disponere. SEPTIMVM, Contritionem non esse coactam & extortam, sed liberam, & voluntariam.

Ex his capitibus habemus, quid sit Contritio, quæ eius necessitas, quæ species, quis effectus: sunt autem de his omnibus controversiae decem. PRIMA, An Contritio sit actus bonus, & liber, & num ad Legem, an ad Euangelium pertinet. SECUNDA, An sit actus solius liberi arbitrij. TERTIA, An includat odium, ac detestationem peccati præteriti.

QVAR

**Q**UARTA, An includat propositum benè viuendi. **Q**VINTA, An sit necessaria ad iustificationem. **S**EXTA, An sum-  
mum dolorem exigat. **S**EPTIMA, An vim habeat peccato-  
rem Deo reconciliandi. **O**CТАVA, An ante Absolutionem  
Sacerdotis. **N**ONA, An peccata omnia delere queat. **D**ECA-  
**M**A, An attritio sit donum Dei.

## CAPVT II.

*Contributionem esse actionem bonam, & liberam,  
atq; ad Euangelium pertinentem.*

**V**T à PRIMA quæstione principium faciamus:  
Sciendum est, magnam partem Lutheranorum  
in ea sententia esse, vt Contritio nihil sit aliud, ni-  
si terror quidam cōceptus ex consideratione pec-  
catorum, & suppliciis, quæ diuina lex peccatoribus commi-  
natur. Cui dogmati tria veluti paradoxa adiungunt. PRIMVM, Contributionem non esse liberam, sed coactam, & extor-  
tam; immò non esse actionem, sed meram passionem: non e-  
nim homo se ipse conterit, vt ipsi dicunt, sed Deus est qui eum  
conterit malleo legis, & minarum. SECUNDVM, Contributionem ad Legem, non ad Euangelium pertinere; Lex enim est,  
quæ supplicia comminādo terret, Euangelium autem Chri-  
stum offerendo consolatur: proinde Pœnitentia, quæ Con-  
tributione & Fide (vt ipsi loquuntur) constat, partim à Lege,  
partim ab Euangeliō pendet. TERTIVM, Contributionem nō  
modò non esse opus bonum, sed etiam hominem omni bo-  
no opere spoliare; & peccatis ac maledictionibus replere, &  
eo modo mortificare, atque occidere, vt deinde per Fidem vi-  
uiscetur, & resurgat, ac bonis omnibus repleatur.

Lutherus in prima disputatione contra Antinomos, pro-  
posit. 2. scribit, Contributionem esse tactum, & sensum legis in  
conscientia: & proposit. 30. scribit, esse afflictionem, ac passio-  
nem, quam conscientia pati cogitur, etiam si nolit. In articu-  
lis quoque Smalchaldicis, tit. de Pœnitentia, dicit Contributionem non esse actiuam, sed passiuam; & comparat Legem ful-  
mini prosternenti, & citat verba illa Hierem. 23. *Verba mea  
sunt quasi malleus conterens petras.*